

Epistola ad Lignitrad. t
fulda zu Halle Jan. 1835.

50
40
Faustis Nuptiarum Solenni-
tatibus

REVERENDI nec non EXIMII
VIRI,

Dn. M. HEINRICI

M E L D U B I

SS. Sylvestri & Georgij

COMPASTORIS,

SPONSI,

CUM

LECTISSIMA PVDICISSIMAq;

VIRGINE

ANNA-ELISABETHA,

Reverendi ac Clarissimi Dn.

M. Jacobi REYNEPORI B.M.U.

Pastoris, Filia dilectissima,

SPONS A.


V Vernigerodæ ad 30 Augusti 1647.

celebrandis gratulantur

FAVTORES & AMICI.

HALBERSTADT,

Typis ANDREÆ COLVVALDI.



I.



Non DEUS ad culmen quemquam perducit ho-
norum,

Tentationibus nisi expositum prius,
Gaudia vix ulli veniunt nisi tramite plenô
Laboribus, livoribus, periculis.

Hic luctus videas, lachrymas, certamina, vota,

Ah QUANDO - QUANDO finis est tumultuum!

At DEUS ut fidus, sic non excedere vires

Permittit in se collocantium fidem.

Ut discas orare, pati, sperare, dolere,

Ac munere in tuô modestè progredi,

Historia id sanctorum, atq; experientia clamat;

Quòd fletus antecambulo sit gaudii.

Ergo quid Viduo Tibi, quid Tibi conquassato,

Quid alterâ junctim Tibi Sponso vice,

Quid Sponsæ delectæ, quidq; utriusq; parenti

Ex cordis intimis precabimur à DEO? (CHRISTUS

Nempè, THORUM HUNC VESTRUM ILLUSTRET POST NUBILA


CUM PACE, TUM BENEDICTIONE PLURIMÂ,

SUMMA si hæc nostri MELDOVV clarissime, voti,

QUAM JOVA solvat, explicet, multiplicet!

Amoris & honoris e. Sobeb.

PETRUS Philipsi D. & Ecclesia-
stes Cathedralis Halberstadij.



II.

Est gravis in proprias carnes injuria, quando

Vxores temere vis generosa fugit:

Abramus repetit Sarâ moriente Keturam,

Sensit enim viduum robur, & ille valens:

Quin

Quin potius meliora suis velocior annis
Credat, & attribuat carne vivente sibi:
Vix estas Tecum vivendi coeperat, ex quo
Mortua costa novam sollicitavit opem.
Ipsi nemo repercussit sibi calce, decetq;
Legitimas quantum possumus ire vias:
Hanc TIBI MELDAVI, mentem fax Numinis infert,
Despondere novas ut jubeare faces:
Fervida convenient spebus connubia nostris
Non tu ipsi nubes, nubet at illa tibi:
Vir prudens astris dominetur & ipse marito
Quas leges Sponsis aurea bulla dedit:
Præter id haud voveo, sint vota secunda, secunda,
Sint, maneant sero non repetita die:

V Vitebergâ mittebat gratul:

ANDREAS SENNERTVS,

Sancti. L. Profess: P.

III.



Qvi junxit Evam Adamo,
Abramidæ Rebeccam,
Dulcem ac piam Rebeccam;
Idem verende MELDA,
Doctæ decus Sionis,
Decus puellularum
Tibi jungat ANNAM-ELISAM.
Qui reddidit parentes
Seris licet sub annis
Saramq; & ipsam Elisam;
Idem tuæ ANNÆ-ELISÆ

A 2

Isacu-



Isaculosq; parvos,
Henriculosq; dulces;
Quin Sarulas venustas,
Annasve Elisulasve
Concedat annuatq;
Stator tori benignus.

Et qui Canæ novellos,
Per nuptiale sacrum
Dum rara pocla spumant,
Solatus est maritos
Vini rubentis haustu;
Hic copia uberante
Vestros sinus inundet;
Hic pleno inusq; cornu
Vestros beet penates.

AUGUSTUS BUCHNERUS,
Poët: P. P.



IV.



*Uta sunt causa, cur longo & carmine læto
Concelebrem tædas, Vir Reverende tuas.
Symmysta es: Collega es: tum sibi tertia iura
Non parvis meritis vendicat ipse socer:
Si vigor ingenij, & Genij mihi pristinus adsit,
Ast senis Aonius deserit humor agros.*

*Decrepiti graciles horrent ceu labra puellæ,
Sic me destituit MVS A favore suo.
Interea brevibus volui comprehendere multa,
His paucis votis millia vota vovens:*

Gnavi-

Gnaviter officij stadium decurrat uterq;
Dilige vir sponsam, dilige sponsa virum.
Vnanimem Christus vobis adspiret amorem,
Qui constans duret mortis ad usq; diem.
Succedat felix, & nescia vita doloris,
Nec turbent vestros ulla pericla lares.
Lunaq; bis quinto cum se renovaverit orbe,
Ad vestros ludat turba novella pedes.
Ignipotens ardor, Deus, & spirabile numen,
Vos regat, à cunctis eripiatq; malis.

M. Johannes Fortumannus, P. L.
Ministerij VVernigerodani Senior
& Ephorus.

V.

VOta vovebo Marito; vota vovebo Maritæ,
Quos non fucatus fœdere junxit amor:
Summus conjugij Vestri regnator Olympi
Sit præses, solitis anchora tuta malis.
Faxit is ut semper sit vobis una voluntas,
Claudat & ut vestros cana senectæ dies.
Paucis: Conjugium sit felix, dulce, serenum,
Prolificum, concors, & sine labe pium.
Donec adimpletis defessos Nestoris annos,
Aufferat una dies, quos ligat una fides.

*Paucis hisce boni affectus attestandi
gratia Dn. Sponso Sponsæq; ipsius
gratulabatur*

Philippus - Ernestus Förster/
J. U. L. & Consiliarius
Stolberg:

A 3

JAMBUS

VI.
JAMBUS GAMBICUS.

Sorulenta solis impluat Soror
Benigniore non dabit rorem tuo
Quo perrigabis Sponsulam sororiam:
Pastoris est ut audio puellula
Tu Pastor ipse sic polus plantabitur:
Ut audio: Sic audeo spontaneis
Congratulationibus Te persequi:
Est non notus fat notus emineas amor
Roraverat super meum satis caput
Ubi coronas sumimus phœbi patris
Ut prima Musa cæteras amaverit
Et inter illas juniorem non parum.
Hæc ipsa jam canit sponsalibus melos
Et ut choreas est secuta cœlibes
Sic est secuta jam sororem conjugem.

O sorulenta Musa Musa primula
Duc & choreas nuptiis FELICITER!
APOLLINEM nostrum jubere fac bene
Expectorato poculo quam maxumo
Bibéris ipse cantharis mensalibus
Sit ergo Conjugi Tibi novo SALVS.

Viteberga deprop:

M. JOHANNES HEINZELMANUS,

Uratislaviâ - Silesius.

Armo-

VII.



Rmorum sonitus, trucidis & calcaria Martis
 Dum detestamur, Tu Neonymphe petis.
 Assiduis votis pacem dum poscimus omnes,
 Nostra tuis tadis irrita vota facis.
 Absit, ais, tam grande nefas, non classica spiro:
 Est etenim voti pax pia summa mei
 Esto: sed si pacis amans, eur talia Mystra
 Affectas? solum, qua Stratiota cupit.
 Tu si pacis amans, quid vult sibi, queso, sonorum
 Calcar? non Tibi Mars, qua sed adaptat Hymen.
 Ipsum sic certè Martem fecisse recordor,
 Cum sereret belli semina Teutonici.
 Calcar, ait, resonans adsit fidissima proles!
 Pugnanti resonans Calcar adesse solet.
 Spes verò qua pacis erit? si talia Mystra
 Audent; pacifici si quoq; bella crepant.
 Ast ego quò flector? non detestabile bellum
 Sponse paras, calcar tristia nulla notat.
 Non poscit bellum calcar, sed dulce duellum.
 Quod sub mellifluò Cyprida rore gerit.
 Felix sit bellum! felix sit Sponse duellum!
 Finiat id calcar rore cadente, sonans.

Sic per jocum ludebar

M. JOHANNES HEMPELIUS,
 Pastor Drübecc.

VIII.



Arâ defunctâ fidei ditissimus Abras Gen. 23, 1.
 Sacri conjugij jura secunda subit.
 Et domino summo non adversante Keturam Gen. 25, 1.
 Curat grandævus jungier ipse sibi:
 Sic Tibi MELDAVI, sic disponente Iehovâ,
 Denatâ Mariâ, En Annula lecta datur:

Ergò

Ergò quid cœlebs culpas præconis amores,
Dum patris exemplo vota novella petit ?
Quin potius factum Tarsensis Apostolus ipsum
Approbat, & suadet jura secunda tori.
Idcirco tutus celebras nova pacta jugalis
Lecti cum gratâ (crede) quiete Dei.
Hac cum traducas Pylios feliciter annos,
Flagrans ut thalamus pignora multa ferat.

1. Cor. 7. 39.

VVOLFFGANGUS Gerdangh
SCHOLÆ RECTOR.



IX.

Rostquam Pieridum rumor pervenit ad aures
Musarum quod Meldavus, quem clarus amavit
Phœbus, pacta secunda thori socialis iniret
Virgine cum castâ ac oris splendore venustâ.
Hos quoq; gratantes voluerunt mittere versus,
In quibus & Sponsi ac Sponse de pectore toto
Optant, conjugij ut summus Moderator & Autor,
Illis, concedat jucunda tempora pacis,
Quo possint junctim tranquillam vivere vitam,
Sic etiam ex animo dulces charitesq; precantur,
Ut sit conjugium fecundum sitq; benignum,
Quò possint salvi vegetos numerare nepotes
Vivere & exactos longævi Nestoris annos,
Et tandem post hæc durissima tempora vita
Det Deus omnipotens illis cœlestia regna,

Gratulationis ergò
adjiciebat

Guilhelmus Helius, VVer-
nigerod: Conrector.

Pro

Ro more pervetusto,
Rituq; pro recepto,
Faustum cuiq; quodq;
Pias ad aetiones,
Ut prosperè geratur,

Ex corde comprecamur,
Et vota nuncupamus,
Deoq; supplicamus,
Pro sanitate firmâ,
Longæ vitæ vitæ,
Pro pace largiendâ
Ut & quiete dulci,
Aliisq; fortè donis;
Mos laude dignus hic est,
Et laude dignus hic est:
In nuptiis honestis
Sponsis novis salutem
Optare mente purâ,
Mihi quod & notandum;
Sed Sponse doctè verba
Non sunt mihi sat apta
Quibus meam decenter
Congratulationem
Queam Tibi probare;
Iam pluribus relictis,

Cum cæteris amicis
Ita serio precabor:
Fac ô Deus, Creator
Vxoris, & Mariti,
Ut ambo conjugati
Hoc duriore seculo,
Diebus his iniquis,
Serventur, & vigescant,
Et subsequente prole
Molestias repellant,
In Nestoris supersint,
Annos, diu valentes,
Tandemq; transferantur,
Hujus ruentis orbis
Ergastulo soluti
Ad gaudium perenne.
Versus honoris ergò
Hos nostra musa mittit,
Vovet, dicat, petendo:
Colende mi Magister
Eos sereniore
Vultu (manu prehenso)
Digneris intueri;
His claudo, finioq;
Hoc nuptiale Votum.

A N N O :

*HVMana gentis CVstos, aVtorqVè benigne,
AVrea paX foVeat, te rogo, Dante tVos.*

JOHANNES Sommer | VVernigerod:
in Patriâ Cantor.



Vates non desunt damnandi ritè docentes
Qui prohibent sacro vivere conjugio:
Quod tamen in verbo fieri mandavit Iova,
Primi hominis genitor, conjugijq; parens,

*Est igitur felix, est terq; quaterq; beatus
Cujus in Amplexus Sponsa decora venit;
Cujus & in thalamum ingreditur, que damna cubilis
Restituat vidui, casta, pudica, pia.
Gratulor ergo Tibi ex animo praeclare Magister.
Gratulor & Sponsae, quam modo Sponsae capis,
Largus donarem Sponso praesigna dona,
Verum nil superest, nil nisi vota pia:
Ad plenum manet divino copia cornu,
Instar aquae vobis prospera cuncta fluant.
Pendientes videas dulces circum oscula natos,
Sit sine lite domus, sit sine lite torus.
Vivite felices corylos dum sylva ministrat,
Atq; lupus lacerat corpora magna bouum,
Hoc Sponso & Sponsae sociali foedere junctis
Opto, Deus votis annue, quae so meis.*

Hac gratulationis ergo adjecit

CHRISTIANUS Kunkel Phil. St.

XII.

Candida lux venit, tædæ fulsere jugales:
Felix connubii vincula necit amor.
Sponsa puellarum lepidissima gloria, Sponso
Traditur; ambobus sint sine nube dies.
Quis vetet ad thalamum lætantes ducere Musas
Iamq; coronatâ fronte videre caput?
Namq; vir & virgo socialia foedera jungunt,
Vir virtutis amans, virgo pudicitiae.
Quin igitur plaudens hodiè gratatur Apollo
Cœlitus ut fiant foedera fausta tori.
Hæc eadem Musæ, charitesq; precantur & optant.
Cœptus ut ad mortis funera constet amor.
Grator ego vobis Venerandaq; numina posco, ut
Sit sine lite torus, non sine prole domus.
Annuat ipse Deus, tædis benedicat, easdem
Fœcundet, ditet, prosperet, atq; beet.

Sic ὀλοκὰς δῖος optat.

JOANNES Schröder.

XIII.



Nixta non semper contristant nubila cœlum
Nec semper supera nimbus ab arce ruit,
Sed solet interdum post turbida nubila Phæbus
Surgere, & auricomū tollere ab axe caput;
Sic postquam flēsti chare reverende Magister
Vxoris funus frigidulumq; torum.

Funeream vestem Christus deponere mandat

Et viridi myrti cingere fronde comam.

Dum tibi quod quæris, vidui post tædia lecti

Adducit sociam participemq; tori.

Coetu è virgineo quæ non minus emicat una

Vt rutilans inter sidera parva Venus.

Quod superest Dominus vestros fortunet amores

Et casto donet gaudia multa toro.

Et thalamus vester multos sic floreat annos

Vndiq; ceu veris tempore floret humus.

Congratulandi ergò deproperabat

GABRIEL Fritzel VVernig:



XIV.

Clare marite, fuit justum, lugere maritam,

Quæ, dum vixit, erat pectus auratui.

Sic agit in nostris divina potentia rebus,

Temperiem, si quid, crede, requirit amor.

Compenses, tristi quæ luctu spreta jacebant,

Et renoves lepidi gaudia casta thori.

Suavior omnis amor quicumq; incenditur ultrò,

Nec vos invitus consociavit Hymen.

Sponsa sit Alcestis, tu sis Albutus ipsi,

Sic vestra ex voto vincula grata cadent,

Proleq; vos mactet lunâ Lucina novenâ,

Gaudeat ut thalamus gaudia plurâ ferat.

JACOBUS Klingsporn/ VVernig:

Scholæ Quedl. alumnus.

Imbri-



XV.

Mbribus effusis, lapsisq; vaporibus axe,
Sol rutilans tandem radios dispergit in orbem.
Tu quoq; discussis damnis Reverende Magister,
Fortunis variis suffunderis undiq; laetus.
Nam tibi Sponsa datur lepidissima gloria Sponso.
Vos ergo arripiet verè clementia diva,
Almaq; prosperitas distendet scrinia nummis.
Vivite concordés dulci modo pace ligati
Optati thalami cernentes pignora chara.

Daniel Schrieder.



XVI.


Gratulor ex animo toto tibi docte Magister,
Et Sponsae castae, quam vis tibi ducere Sponsae
Dei Deus omnipotens valeatis tempore cuncto.
Utq; senectutis cernatis tempora longa,
Sit benedicta domus, semper thalamusq; saluber
Omnipotens haec det vobis moderator Olympi.


Guilhelmus - Ernestus
Wichelbach.



4/c 37

VD17





Farbkarte #13

B.I.G.

50

90

tiarum Solenni-
tibus

nec non EXIMII

IRI,

HEINRICI

D N 231

ri & Georgij

ASTORIS,

NSI,

CUM

PVDICISSIMAq;

GINE

ISABETHA,

Clarissimi Dn.

RESPORI B.M.V.

lia dilectissima,

NS A.

id 30 Augusti 1647.

s gratulantur

S & AMICI.

ERSTADI,

Æ COLVV ALDI.

